



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Catalogvs Abbatvm Monasterii Aspach.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

torf, Bernhardus de Vokkenberg, Tyrolfus de Osterhouen, Viricus Dapifer noster dictus de Nevvenstorf, milites, Chunradus Cizeman officialis noster in Aterse, Gebhardus de Veltpach, Fridericus de Franckenburch, Fridericus Phnurco, Fridericus de Alkerstorf, Engelschalcus de Hag, & alij quàm plures fidedigni, Datum in *Aterse*. Anno Domini MCC LXXVIII. VIII. Kal. Iulij.

Memoriale de quo supra num. 56.

Thomas permissione diuina Abbas Monasterij *Celle Principum* Ordinis *Cisterciensis*, *Patauiensis* Diocesis, Vniuersis & singulis Christi fidelibus ad quos præcantes nostræ literæ peruenerint, Salutem in Domino. Quia coram nobis personaliter constitutus Venerabilis in Christo Pater ac Dominus Dominus *Ioannes* Abbas Monasterij in *Aspach*, Ordinis Sancti *Benedicti Patauiensis* Diocesis, de fundatione & dotatione Reuerendi in Christo Patris ac Domini, Domini *Bertholdi* Dei gratia *Babenbergensis* Ecclesiæ Episcopi, suorum quoque successorum, animo & intentione, modernum Reuerendum in Christo Patrem ac Dñ. Dñ. *Antonium*, eiusdem Ecclesiæ *Babenbergensis* Episcopum, clarius informandi, uidelicet qualiter dictum Monasterium in *Aspach*, non tot & tantis gaudeat redditibus, quemadmodum in principio suæ fundationis sit prouisum, & ferè multis solatiis destitutum. Allegauit etiam & proposuit, quomodo certa Priuilegia super redditibus dicti Monasterij edita & conscripta, in exustione ipsius Monasterij forent per ignis voraginem consumpta, nec non huiusmodi Monasterium suum, in multis & diuersis debitis sit oneratum. Hæc & alia ad verificandum præscriptus Dominus *Ioannes* Abbas honestos ac prouidos viros *Stephanum* Rauniger, *Matthæum* Lindner, & *Georgium* Mülhueber ciues *Patauienses*, coram nobis in medium produxit, qui omnes & eorum quilibet deposuerunt fide data, loco præstiti iuramenti, quomodo dictum Monasterium *Aspacense* multis debitis & oneribus sit inuolutum; prout in quadam schedula per ipsum Dominum Abbatem coram nobis producta, & per Notarium subscriptum lecta de verbo ad verbum plenius continetur, &c. Ideoque debita præscripta pro maiora verificatione, licet tamen aliqua ex eisdem per modernum Dominum *Ioannem* Abbatem, etiam eo ante tempora existente Procuratore eiusdem Monasterij in *Aspach*, sint pro parte soluta, ad petitionem eiusdem Domini Abbatis hic inferi, & inscribi huiusmodi schedulam iussimus, & per Notarium publicum subscribi, nostriq; sigilli appensione iussimus communiri. Super quibus etiam idem Dñ. *Ioannes* Abbas petiit sibi tot, quot forent necessaria publica confici Instrumenta. Datum & actum *Patauiæ* in domo habitationis nostræ, Anno Domini Millesimo, quadringentesimo tricesimo octauo, Indictione prima, die vero quarta decima mensis Martij, hora meridie vel quasi. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Dñ. *Eugenij* diuina providentia Papæ quarti, anno eiusdem septimo, presentibus ibidem honorabilibus & prouidis uiris *Ioanne Langshaimer*, Magistro *Petro Helm*, ciuibus ciuitatis *Patauiæ*. *Ioanne Brobst* armigero, & *Oswaldo* de *Furstenzell*, Marstallario nostro Laicis, *Patauiæ*. Diocesis. Testib. ad præmissa vocatis pariter & rogatis, &c.

CATALOGVS ABBATVM MONASTERII

Aspach.

I. FRIDERICVS *Sigenhaimer* ex nobili familia de *Sigenhaim*.

II. WICKE.

- II. WICKERVS.
 III. OTTO.
 IV. RVELLIEBVS.
 V. RVECHWINVS.
 VI. ARNOLDVS.
 VII. HERRANDVS.
 VIII. ORTOLIVS.
 IX. WICKERVS *secundus*.
 X. EBERHARDVS.
 XI. RAPOTO.
 XII. HEINRICVS.
 XIII. RAPOTO *secundus*.
 XIV. ALBERTVS.
 XV. BERNHARDVS.
 XVI. HEINRICVS *secundus*.
 XVII. IACOBVS.
 XVIII. DIETMARVS.
 XIX. VLRICVS.
 XX. ALBERTVS *secundus*.
 XXI. IOANNES.
 XXII. IACOBVS *secundus*.
 XXIII. IOANNES *secundus*.
 XXIV. WOLFGANGVS.
 XXV. IOANNES *tertius*, *dictus Rughelm*, *primus insulatus*.
 XXVI. BENEDICTVS.
 XXVII. ADAMVS.
 XXVIII. EGIDIVS.
 XXIX. CHRISTOPHORVS.
 XXX. MARCVS.
 XXXI. GABRIEL.
 XXXII. IOANNES HENRICVS.
 XXXIII. WOLFGANGVS *secundus*.
 XXXIV. LAMBERTVS.
 XXXV. MAVRVS.

AETL

MONASTERIVM ordinis S. Benedicti, in ripa Oeni, super Wasserburgium, fundatur ab Arnolpho, Comite Damastano, amicissimo Heinrici quarti Imperatoris. Ibidem cum vxore Gisala sepultus, circa Annum 1080. quod per fratrem eius Fridericum dictum Rocho, ad tantam egestatem redactum est, ut ægrè tres Monachos alere posset. Engelbertus Comes Wasserburgenfis postea refecit, ac locupletauit. Limpurgium arcem seu Castrum suum vicinum solo æquauit, quod otio & solitaria vitæ ac disciplinæ, strepitus ciuiles ac aulici minime conuenirent. Wasserburgium cum toto famulitio migravit, ac ibidem de cætero habitauit. Et hoc circa Annum Domini 1160. Auent. in Annalib. fol. 552. & fol. 692.

SEPVLT I sunt ibi Nobiles Zelleri de Zellereut vicini olim, &c.

ADDE